



§. I.

"Hominem obiectum esse amplissimum,
& magnis voluminibus argumentum suppeditare posse", quod monuit *Morkofius*, Polyhistor quondam celeberrimus, in libro ita inscripto Tom. II. Lib. II. Part. II. §. I. Cap. XLVII. de homine, lubenter concedo, iisdemque rationibus confirmare studeo, quibus suum corroborauit iudicium magni vir nominis. Nullum enim est corpus humano elaboratius, quod praeterea mentem habet sibi iunctam & mirabili modo unitam. Pertractabimus argumentum, hominem; perlustrabimus par-

A

tes,



tes, ex quibus consistit; inuestigabimus, cur arctissimo teneantur vinculo, & persequemur denique quedam, ipsius hominis, partiumque eius diuinitus combinatarum ad finem spectantia.

§. II.

Sunt hominum animae; earumque existentia extra aleam posita est. Principii eorum nulla adhibitatione, qui ex corporis nostri negatione & dubitatione probarunt, animam adesse; experientia, quae cuilibet est quotidiana, eum de sua, procul dubio omni faciet certiorem.

§. III.

Animam definituro difficultates sunt impedimento maiores, quae ex cognitionis tam nostrae angustia, quam inde oriuntur, quod res perscrutanda in sensus nostros non incurrit, eosque excedit. *Scholasticus, ens incorporeum;* & *Cartesianus* eo contentus, quod *ens cogitans*, animam nuncuparit; vterque definitionem dant, definito suo, ut aiunt, latiorem. Hinc acutissimus *Locke*, dans s. *Essais philos. de l'entendement humain L. II. c. 19. §. 4.* probabile esse existimat, cogitationem esse actum, non *essentiam mentis*. Philosophis igitur mei assensus suffragium potius impertirer, qui vel in animae vi, corporis ope, hoc vniuersum sibi repraesentandi ultimum requisitum,

&

& animae naturam ponunt; quos inter referendus est Vir excellentissimus, Praeses, Fautor ac Praeceptor aestumatissimus. *Cuius videatur Metaph. Psych. rat. Sect. I. Cap. I. §. 591.*; vel in vi; qua sponte agere atque anima percipere potest. *Qua de re Per- Ill. Dariesii Praeceptoris omni cultu prosequendi legi potest*, Metaph. Psych. rat. Sect. I. Cap. I. §. X.

§. III.

Veterum sententiis de vna pluribus animabus in uno eodemque homine, recte opposuerunt sophi iis perspicatores; homini cuidam vnam tantummodo, & quidem animam inesse rationalem. Solum enim est ex tot animantium generibus atque naturis animal, quod vocamus hominem, particeps rationis & cogitationis, cum eiusdem caetera sint omnia experitia.

§. V.

Quamuis ab homine anima nequeat abesse; attamen si eius naturam spectamus, totum ad hominem constituendum, corpus ut requiratur, necesse est. Cuius arctissima ex vnione cum anima, omnes hominum operationes, quas peractas peragendasque quotidie contemplamur, explicari possunt. Naturam igitur hominis duabus absolui partibus, quarum vnam mentem; alteram corpus adpellamus, nemo erro-



erroribus liberatus, inficias ibit. Vid. Per-III. Dariesii
Iurisprud. nat. in Praec. §. 4.

Schol. De partibus hominis naturam constituentibus semper ac saepe fuit disceptatum. Dantur, qui vnam tantummodo defendantes, a graeco μορας, μορισταρυν nomen ducunt; quorum alteri, & quidem materialistae animae simplicitatem; alteri, & quidem idealistae corpus negant. Hi rursus in Pluralistas, & Egoistas, fautores erroris, neminem praetereuntis, dividuntur. Sunt reliqui, quibuscum adhuc sub iudice lis est. Tria hominis statuunt constituta, & ne extra scripturam s. sapere videantur, allegant: Luc. I, 46. 47. & 1. ad Tessal. V, 23. Quod attinet ad hos, nobiscum consentient, si illud motus in corpore producens, & omnibus animalibus commune, animae; affectus autem animae, spiritui simus concessuri. Caeterum sententias olim vndeque receptas, locis in citatis, litterarum sacra-
rum scriptores sunt secuti.

§. VI.

Distinguenda bene a corpore est anima, quo longe praestantiorem se praestat. Corpus inter compositas; anima autem inter simplices & res refertur immateriales. Interea illius praestantiam indicaturus, ut eam ille diuinam nominet, minime necessarium esse videtur. Sunt alia, excellentiam mentis significantia, verba. Nobis semper cauendum erit, ne nostra in sententiam Stoicorum & Manichaeorum incidat. Stoici olim arbitrabantur, animam DEi esse par-



5

partem : quasi Deus foret compositus & in partes di-
uidideretur. *Manichaei errorem renouantes, ab eccle-*
siae patribus sunt refutati, qui docuerunt: animam
creataram, non partem DEi, ab illo factam, non de
illo.

Schol. Corpus compositum est, & quia nexus rerum
non spontanearum ita constitutum est, ut earum altera al-
terius motum determinet, *machina audit.* De qua cum
Leibnitio contendimus, eas, quas producit, mutationes,
actiones, & motus, omnes secundum leges partim mecha-
nicas, partim hydraulicas, partim pyrobothicas modificari, &
recte nominari: machinam mechanico - hydraulico - pyrobothi-
ciam contemplationis gratia factam.

§. VII.

Attendamus animum, ad hominis naturam perti-
nentia, ad animam & corpus. Deprehendimus, &
quemlibet sua ipsius experientia docet, quod animae
perceptiones, quibus res extra nos positae repre-
sentantur, consentiant amice, & conspirent illis mu-
tationibus corporis nostri, eis praesertim, quae in
sensoriis eiusdem organis contingunt; nec non, quod
motus corporis, quos voluntarios vocamus, respon-
deant, cogitationibus, earundemque in anima suc-
cessionibus & mutationibus. Inde perspicitur nexus,
quem sapientiae rerum principes; *commercium ani-*
mae & corporis humani dixerunt. Hinc *Cartesius*
Princ. phil. p. II. §. 2. ita loquitur: Menti nostrae

A 3

cor-



corpus quoddam magis arête quam reliqua alia corpora coniunctum esse, concludi potest ex eo, quod perspicue aduertamus, dolores aliquosque sensus nobis ex improviso aduenire, quorum Mens est conscientia, non a se sola proficisci, nec ad se posse pertinere ex eo solo, quod sit res cogitans, sed tantum ex eo, quod alteri cuidam rei extensae ac mobili adiuncta sit, quae res humanum corpus appellatur.

Schol. Sunt, qui *unionem, concordiam, cet. pro commercii* habent synonymis, quas tamen, qui accuratius philosophantur, sollicite ab eodem distinguere solent. Conf. BILFINGERI *dilucidat. phil. §. 319. p. 311.* vt & eiusdem tractatus de *Harmonia* praest. §. 3. 4.

§. VII.

Intercedens *inter animam ac corpus commercium* illud quodammodo ut explicetur *hypotheses philosophicae* sunt inuentae, quae *Systemata* audiunt. Quorum tria * numerantur, quibus, prout cuique placuerit, suum docti assensum praebuerunt.

Schol. *Explicare, dicitur, commercium mentis & corporis,* qui rationem eiusdem reddit. Cur plenam nemo unquam reddiderit, pluribus demonstrat Antonius de Haen in libro *de Ratione medendi. Cap. XXXIII. p. 337.* "Substitut, (sunt "verba viri gener. experientissimi) hic examen physiologicum:


* Adferri plura, non nescio; sed absint corrupta, ex duabus inuentis diuersimode combinatis composita, & *Systemata* ad rem nihil pertinentia.

”gicum: haud enim datum est nobis miri animi nostri cum
”corpo commercii capere leges. Ignoramus prorsum
”eas, quarum ope commercium hoc peragatur, partes.
”Ignoramus, qua se lege & tangant, & moveant, & ite-
”rum sificant:” cet.

§. IX.

Anima & corpus in mutationibus suis sibi inui-
cem respondent. (§. VII.) Anima & corpus rerum
contingentium sunt in numero, cum aliter esse pos-
sint. Ergo determinationis suae rationem habere de-
bent. Illam autem nisi in determinante caussa fru-
stra quae sueris. *Vid. Bilfingeri Tractat. de Harmon.*
praeft. §. 17. Itaque vel ab eadem communi caussa
determinationi vtraque: vel ita a se mutuo dependent,
vt altera alteri ipsa sit caussa determinans. Si prius,
illa communis dirigens caussa vt semel atque simul
harmonice constitutas, vnamquamque suis permittit
legibus, quarum ope mutationes certo se ordine mo-
doque insequantur in vtraque, adeoque maneant har-
monicae (habes *Harmoniam praefabilitam*); vel illa
communis dirigens caussa actu constanter corpus ex
anima, & vice versa, data determinat occasione (vides
Systema Caussarum occasionalium). Si autem ita a se
mutuo dependent, vt altera per influxum eundem
que realem alteri sit caussa determinans; adest *Phy-*
sicus influxus. Alium non dari *Commercii* in contin-
gentibus fontem facile intelligitur.

§. X.



§. X.

Primum, quod itaque in censum venit, *Systema est Harmoniae praestabilitae*. Illud *Commercium mentis & corporis ad explicandum protulit & inuenit Leibnitius*, Philosophus quondam celeberrimus. Vult sapiens, absque corpore, animam suas sua vi habere representationes cert. corpusque motus suos absque anima, & consensum reciprocum mutuumque animae & corporis in suis mutationibus inde euenire; quia DEus intellectu suo infinito omnes possibles animas, & omnia possibilia corpora distinctissime cognoscens, illa duo elegit, quae in omnibus suis actionibus sibi inuicem perfecte respondere, consuluit. Quocum autem consentientes, vnde sumimus rationem, sufficientem dicam, monstrandi, cur corpus existat; cur cum corpore anima iungatur? & cur denique ad animam perfectiorem reddendam, eius cum corpore coniunctio necessaria sit? Videatur Cel. Knutzen diss. de commercio, §. 13. Consentit nobiscum Vir doct. ita dicens: "Prae reliquis vero ea difficultas in hoc systemate haud exigua videri posset, quod eodem admisso DEus T.O.M. absque sufficienti ratione mundum corporeum & entia praeter mentes alia produxisse videatur. Cum enim mundo corporeo non existente, vt fatentur Harmonistae, entia intelligentia siue mentes easdem habiturae essent representationes, ac si ille existeret; euidentissimum est, quod omnipotens,

tens rerum conditor sine corporum productione finem suum adsequutus fuisset." cert. Extant praeterea, quae Systemati H. P. opposuerunt *Foucherius*, *Baelius*, *Lamius*, *Arnaldus*, *Parentius*, *Tourneminius*, *Neutonus*, *Clarckius*, *Stahlius* rel., quibus, quantum fieri potuit, omnibus occurrit *Bilfingerus*, huic systemati quam maxime adstrictus in Sect. VI. tractatus supra laudati. Harmoniam denique praestabilitam humanae libertati, sano ergo sensui & bonis moribus admodum contrariam esse, ab his & aliis suspicionibus illam liberandi omnem operam nauavit *Bilfingerus* in litteris ea propter ad *Ioan. Clericum* datis, adque tractatum suum plerumque adiunxit.

Schol. Nouis, nouam *Leibnitii* methodum, commercii mentis & corporis enucleandi, adiectionibus illustravit, & locupletauit celeberrimus *Wolfius*, vir supra meas laudes positus, tum in aliis scriptis, tum praecipue in Metaphysica, idiomate germanico conscripta. Ei se opposuere eruditii multi vulgaris haud nominis. Praecipiuus nominari meretur *I. Langius*, & qui, praeter hunc, in arenam descendenter *Weismannus*, *Buddeus*, *Hofmannus*, *Walterus*, *Holmannus*, *Langbansius*, *Holzbabius* rel. Ceterum notandum, acutissimum *Wolfium*, nec non plures ex iis, qui hoc systema amplectuntur, illud non nisi tanquam hypothesin admittere quamvis probabilem, cuius nec possibilias, multo minus actualitas haetenus euicta sit. Falluntur ergo, qui H. P. philosophiae *Wolfiana* caput esse credunt & Fundamentum. Vid. *Wolf. Psych. rat.* §. 633. & *Cel. Knutzen* diss. §. 13. Annot.



§. XI.

Alterum, quod praeteriri non potest, leuiter attin-
gam, *Causarum occasionalium systema Cartesianum*. Sy-
stema hoc a causis occasionalibus nomen accepit,
cum mutationes dirigentes occasionem DEo praebeant
respondentes, seu dependentes, siue in mente, siue
in corpore producendi. Ab aliis etiam *Systema adsi-
stentiae* appellatur. Quod sistema ipsum attinet; va-
riis id premi difficultatibus iam dudum viri doctissimi
demonstrarunt. Tantum abest igitur eo posito, ut
commercii animae corporisque nodum, Cartesiano-
rum princeps, *Malebranchius* soluerit, ut eum mag-
is penitus dissecuerit, multasque introduxerit, quas
Leibnitius, *Wolfius*, *Bilfingerus*, *Dariesius*, *Dn. Prae-
ses*, *Gottschedius*, *Knutzen*, aliquie obseruant difficul-
tates, de quibus, si cepero dicere, pluribus verbis
mihi fuerit differendum. Consentiunt omnes, Philo-
sophi non esse, in explicandis rerum naturalium phae-
nomenis statim ad omnipotentis Dei voluntatem pro-
uocare; miracula exaggerare, quae frustra non per-
petrat Numen, quod colimus, supremum: & abne-
gandum fore sistema, quod mali autorem, D. T. O.
M. efficere posset. Vid. de CROUSAZ *Systeme des
Reflexions*. p. 257.

§. XII.

Tertium, quod prioribus antiquius, maiorum
nun-



II

nuncupari potest systema. Illud *mentis corporisque commercium* ita explicat, ut impressiones, in organis sensoriis factae, motum fluidi neruei in cerebro, seu ideas materiales excitent, quibus auxiliantibus corpus in animam ita operetur, ut sensaciones inde oriuntur; Sic in idem eodem modo fluidum agat neruum anima, per quod toti ita sit praesens corpori, ut omnes corporis motus spontanei inde proficiantur. Id, quod vulgo *influxus physici systema* audit, difficultatum quae attinent ad modum, nulla habitatione, temporibus nostris omnium optimum a Philosophis summae eruditionis, ac famae, putatur; quorum aemulari negligentiam potius exopto, quam in novo systemate inuestigando aliorum diligentiam.

Schol. Quos offendit, quod res omnino heterogeneae, corpus & mens, quae nihil fere commune habere videntur, in se inuicem agere supponantur; ab iis perimus, ut animo tractent, quae extra dubitationis aleam posuit Knutzen vir clarissimus, in docta sua, *de mentis corporisque commercio per influxum physicum explicando*, dissertatione, Ao. 1735. Regiomonti habita.

§. XIII.

Restat, ut animae ortum inspiciamus, eumque cognitu tam difficilem, quantum fieri potest, pertraitemus. Faciam, sed ita, ut multas, quae in ardua hac re versantur, enumerem sententias, ego autem cum Philosophis, multisque maximi nominis Theologis



logis ~~intexer~~ illud, tanquam tutissimum medium teneam. "Qam bellum enim est, velle confiteri potius, quod nescias, quam ista effutientem nauseare atque ipsum sibi displicere." Cicero de natura Deor. lib. II. Et Clericus Oper. Phil. Tom. I. cap. 4. ita loquitur: Pudendum non est id nescire, quod nunquam ad examen reuocauimus, sed pudendum est, id velle vide ri scire, quod re ipsa ignoramus.

§. XIV.

Docere animae qui ortum voluerunt, vel animam a parentibus, perinde ac corpus deducunt, qui traduciani dicuntur; vel eandem creari a DEo defendunt, qui creatiani nominantur. Hi, animae quod attinet in corpus introitum, diuersas in coniecturis partes admittunt. Alteri ante corpus, alteri vna cum corpore, & adhuc alii post corpus productum, arbitrantur, fore ut animae a Deo crearentur. Inde nomina praecexistentianorum, coexistentianorum, & infusianorum alias inaudita.

Schol. De ortu animae per traducem, de praecexistentialia animarum, de creatione, multae sunt controversiae, suique singulis sententiis patroni. Sententia de traduce apud plurimos assensum obtinuit, quamquam & illa suis difficultatibus urgeatur, si mordicus tenere velimus, nonnullas assertiones, quas de spirituum natura nobis persualimus. B. Meisnerus rem pro more, i. e. solide tractauit Phil. sobr. Part. I. Sect. III. Cap. VI. Qu. I. De anima. B. Lutherus Augusti-

gustum sequens dixisse traditur; se nihil publice velle affirmare de illa intricata quaestione: sed priuatim apud se tenere sententiam *de traduce*. Praeexistentiam Angli nonnulli prae ceteris defenderunt: Sunt libri Henrici Moore Philosophi Platonico - Cartesiani, & aliorum integri super hoc argumento conscripti. Sententia etiam olim Socrati, & praesertim Platoni, aliisque impurabatur, de quibus Cicero in fragmentis *de consolatione*. A Platonicis commentatoribus multis argumentis propugnata est, quam etiam defendendam, quia hac doctrina magnam origini animarum lucem accensam existimarunt, suscepserunt veterum ecclesiae christianaे doctorum permulti: teste Huetio *in origeniem*: lib. II. q. VI. §. X. Iacobus Thomasius in oratione aduersus Christoph. Sandium, socinianum & strenuum praeeistentiae, in libro suo, *de animarum origine*, propugnatorem, scripta, & Lipsiae 1674. edita, illum refutat & demonstrat, grauissimos omnino & maximos inde euenire errores. Multis subsequentibus in temporibus placuit coniectura, quam hac de re protulit Leibnitius *de animalibus spermaticis*, quae reperiri potest in princip. eius phil. §. 85. Theodicée §. 90. Caussa DEi §. 81. Recueil Tom. II. p. 187. sqq. & quam doce diiudicauit Vir exc. Praeses in Psych. rat. Sect. III. Cap. II. §. 653.

§. XV.

Denique in finem commercii inter animam & corpus intercedentis, ordo atque nostrae meditationis incidit natura. Est proximus absque dubio omni, animam suas, corporis ope ac auxilio, acquirere & augere virtutes. Demonstrabo quod sumsi: res simplices



ces spontaneae, quibus cogitationes, ergo virtutes, materialiter spectatae non vi naturae insunt, eas ad acquireendas schemate egent perceptionum. (Vid. Per - Ill. Dariesii Metaph. Monad. Part. gen. Sect. III. Cap. II. §. LXXIX.) Hominis autem anima inter eiusmodi res est referenda. Ergo. Aut tribus positis, si mauis, hominis naturam constituentibus, (vid. Schol. ad §. V.) nostra non minus constabit probatio. Obiectorum notiones spiritum habere distinctas, ex eius intellectu, cert. patet, quibus autem gaudere nequit; nisi obiectorum notiones antea formauerit. Notiones illas anima abstrahit, & experientia teste, ex iis, quae sensatione cogitat exteriore. Perceptionum autem deficiente schemate, vnde anima suas sensationes assequatur exteriore? A DEo? ne dicas, alias te Leibnitii cartesianorumque sententiae addicatum contemplamur; quam (§. X. & XI.) abdiximus.

Schol. Adhibiti vis argumenti in eo sita est, quod animae antequam cum corporibus coniungerentur, suam neque cogitandi, neque cognoscendi facultatem exercuerint. Concedent lubenter omnes vel qualicunque modo animarum propagationem propugnantes. Insurgunt soli, animae praexistentiam qui defendunt, & eorum quidem illi, qui animam corpori suo praexistentem absque perceptionum schema-
te vlo cogitasse autumant. Nullo modo fieri posse putant, vt a pueris tot rerum atque tantarum insitas, & quasi consignatas in animis notiones, quas *imolas* vocant, habere-
mus, nisi animus, antequam in corpus intrauisset, in re-
rum

rum cognitione viguisset. Quibuscum ponamus, animam fuisse, antequam suum corpus existeret; attribuamus animae praexistenti cogitandi, cognoscendique vim & facultatem. Quid inde? A facultate & vi cogitandi ad ipsas cogitationes consequentia non valet. Status praexistentiae animae concessus, vt verbis *Philosophorum* utar, status solummodo substantialitatis incompletae est nominandus; completus vt euadat, animae cum corpore commercium est ineundum. Suam causam magis defendere credunt, qui in praexistentie anima *obscuras* nominant, quas admittunt, *perceptiones*. Perceptiones obscurae sunt imperfectae: simulac anima cum corpore erit coniuncta, perfectiores redduntur. Animam igitur corpori praexistentem, aut una cum eo, aut post id existentem, si mavis, sumas; finis ille in Spho positus saluus manebit; et anima augendarum virtutum gratia cum corpore in coniunctionem, & sequens inde venit *commercium*.

§. XVI.

Quibus haec tenus ex disputatis (Sph. ant.) facile iam omnibus erit perspectu, animam corporis ope cogitare incipere; sed semel dum inceperit, cogitandi que, vt ita dicere fas sit, semel exercuerit vim; corpus potest auferri; attamen cogitare anima non cefsat. *Anima enim qua anima cogitat, vt qua spiritus cogitare possit.* (vid. argum. II. Sphi ant.) Quod iis dicendum puto, qui contra nos ex animae immortalitate argumentantes incedunt.

§. XVII.

Hominis anima *perceptionum absque schemate* haud cogi-



cogitandi initium facit. (Sph. XV.) Ergo omnes eiusdem naturae res finitas, vel praesertim anima superiores eiusmodi, seu alio *cogitandi, cognoscendi, agendi, & operandi egere schemate*, non dicam mihi liquere. Ita placuit *Canzio S. R.* vid. *iurisprud. eius ciuit. Dei.* §. 324. Sed res est altioris indaginis.

§. XVIII.

Pergamus ad ea, quae restant. Finem, cuius (§. XV.) mentionem feci, sequitur alter, vel cum eo potius combinatur, quem *diuinarum perfectionum manifestationem* putamus. Posito uno, ponendus est alter. Anima corpore mediante suas amplificat virtutes, & optimum omnino testimonium numinis summi bonitatis, sapientiae ac potentiae infinitae simul exhibit *animae corporisque commercium*. De *Caraccioli*, vir scriptis aequa ac virtute celeberrimus, sequentia hac de re fecit verba lectu dignissima : Si l'ame se trouve jointe à la matière, c'est que l'homme placé au milieu d'un monde corporel, deucit avoir une intelligence capable de l'élever à l'Etre suprême, & un corps en même temps propre à palper, & voir tout ce qui l'environne. Sans corps il étoit aveugle & muet dans ce vaste univers ; sans ame, il avoit le sort des animaux, qui ne connoissent, ni leur principe, ni leur fin, & dont les operations méchaniques ne devroient peut être pas plus étonner, que les mouvements revulsifs de cette plante appellée sensitiva.

L'uni-

L'union de ces deux substances, si intime, & si admirable, met l'homme en état de s'interroger lui-même, d'interroger tous les êtres, de juger, de prononcer, de combiner, & d'exécuter. Noble exercice! Heureux travail, qu'on doit préférer à toute autre étude! Que nous importe d'avoir une définition précise de l'ame. Passerons nous toute notre vie dans une speculation sterile sur un objet, qui nous sera toujours caché. Il vaut sans doute bien mieux sentir notre ame, que de la définir. *Vid. La conversation avec soi-même.* p. 14.

§. XIX.

Absit eorum conatus, Deum S. T. O. benignissimumque vituperandi in suscepto corporis cum anima coniunctionis negotio; quia saepissime inde multae & maximae eveniunt animae corporisque imperfectiones, & homines facile miserrimi. Eueniunt; sed Deo inuito, ex mortalium solo libertatis abusu. Vsum abusus non tollit. Omne alias & quidem saluberrimum, quod Deus optime fecit, foret spernendum. Res per se utilissimae, si iis abutamur, fiunt saepe perniciosissimae. Vsus habet laudem: crimen abusus habet. Ita Cicero: At fortasse non omnia eueniunt, quae praedicta sunt; ne aegri quidem quia non omnnes conualescunt, idcirco ars nulla medicina est: de Nat. Deor. lib. II. p. 20.

C

§. XX.



§. XX.


Bonitate, sapientia, ac potentia summa, virtutibus, quae in corporis animaeque commercio luculenter apparent, cunctos quibus contigit, numen supremum perfecte obstringit; ut mentem suam, corpusque domicilium mentis, & statum suum, quantum fieri potest, perficiant, ut diuinarum fiant virtutum specula clarissima, atque hunc ad finem omnibus vtan-
tur praesidiis, quae a prouida numinis benignitate subpeditantur. Praestantissimum, inde colligimus, quod nobis sit, Deo patri communi & omnium be-
nefactorum summo, omnino dedicandum, offerendum & vouendum esse. Neque vero satis esse vege-
ti corporis robur illi dedicare, sed mentis praeterea addendam esse puram, candidamque sinceritatem.
Inde Augustinus: Quod si corpus, quo inferiori, tan-
quam famulo vtitur anima, sacrificium est; quanto ma-
gis anima ipsa, cum se refert ad Deum & Prosp.
Epigr. XV.

Quid voueat Domino, quisquis bene corde volutat;
Ipsum se totum praeparet & voueat;
Maior enim offerri nequit hostia mentis in ara,

§. XXI.

Omni iamjam animantium generi a natura tribu-
tum est, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinet-
que ea, quae ei nocitura videantur; praesertim au-
tem

tem omnibus, animae corporisque commercii scopum apertis oculis intuentibus, in coniunctione cum corpore retinendus est animus, nec iniussu eius, a quo ille est datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamur. Est voluptas animae insita, (inquit Cicero) cuius beneficio diuturnam in corpore mansionem sustinet, & omnia fugit, quae ei putantur contraria. *Αὐτοχειρίας* facto ipsa natura reclamat, portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie & figura, qui tantum immanitate bestias praeierit, ut, cum salutis gratia suauissimam hanc lucem aspicerit, sese interitus sui caussa indignissime luce priuarit. Crudelitas, quae animos reddit duriores & acerbiores, omnino est fugienda. Qua si hominum genus teneretur, inter feras satius esset aetatem degere, quam in hac tanta immanitate versari. Certe quum emunctae naris pagani errorem hunc agnouerint crassissimum, mirandum est sane, eo interdum christianos abripi, ut sibi peccatum admodum leue aliquod sese committere persuadeant. Exempla sunt odiosa. Crimen, qui ponderat, illud amori, obedientiae, fiduciae, gratae menti, timori, subiectioni, aliisque erga Deum repugnare officiis; nec non officiis erga se ipsum, quae studio salutis propriae continentur, simulque iis erga alios, quibus perfectior factus prodeesse, aliorumque imperfectionibus



subuenire potuisset, contrarium esse; dubium est nullum, quin scopo suo conuenienter, absque scelere tam nefario, quam impio semper sit victurus, vitamque honestam vel miserrimam longe antepositurus morti turpissimae.

§. XXII.

Nonne cogitemus, homines omnia ea, animam & corpus, & quae ad commercium animae corporis que sustentandum a DEo ita largiter ac benigne accepta attente considerantes, manibus ad coelum versis, summo benefactori summas gratias acturos; se longe omnium ab eo creatorum felicissimos praedicatueros, & in bene semel suscepto vitae instituto constanter esse perseveratueros. Attamen, proh dolor! sunt, qui peruerse agendo, optimis maximorum beneficiorum vinculis obstricti, benignissimo Numini, cui salus vniuersusque ita curae est, vt, quae ad illam efficiendam, conseruandam, augendamque pertineant, quantum sit in ipso, desiderari non patiatur, ad officia, quae requirit, implenda, omnes omnino obligationes recusant. Sunt qui haud obedientes, & vitam viuentes turpissimam, verba animo grato proferunt indignissima, & diem, qua nati sunt, aperto ore execrantur. Vitium, quod committunt, est horrendum & ex-peruersa eorum oriri videtur voluntate, summam DEi ad eorum salutem abnegandi propensionem.

§. XXIII.



§. XXIII.

Tale quoddam perpetrantes, ad crimen, quo sunt obnoxii, iustificandum, nos non fugit, plerumque ad factum Iobi, suo maledicentis natali, a sanctis scriptoribus ad detestandum memoriae proditum, transire. Dura certe locutus est contra vitae autorem Iobus, exoptans, sibi nullum fuisse diem. vid. eius lib. Cap. III. 2. 3. Quoniam autem istam execrationem expressit infirmitas, dolorque acerrimus produxit; crimini eius etiam minor inest culpa. Saltim motuia, quae dicuntur externa, Iobi vitium quodammodo excusarent. Quae non dubitamus, quin de eodem delicto, a quodam vate commisso, caeteris paribus, valeant. Ier. XX. 14.

§. XXIV.


"Alterutram illorum fortē esse optimā, vel non nasci, vel natūm sic cito obire diem": male dictum est a Possidippo, interprete Scaligero. Temerarius ille non est audiendus; sed in doctrina de animae corporis commerce, eiusque fine, omnem alium longe superante, magis erudiendus. Nam, quis sit, quaeso, qui velit, ut neque quemquam perficiat, nec ipse ab ullo perficiatur; ut neque alios feliores reddat; neque ipse circumfluere copiis atque in rerum abundantia viuere optet. Respondeamus ei verbis Martialis ex Lib. X. Epigr. 47."

C 3

Quod

n est
celere
vitam-
scurusnam &
corporis-
gne ac-
um ver-
ros; se
praedi-
to con-
dolor!um be-
umini,
e ad il-
e per-
atiatur,
omnino
entes, &
ato pro-
, aperto
unt, est
r volun-
bnegandi

§. XXIII.



Quod sis, esse velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

Et finiamus Horatiano; Sors optima est ei, & occupat.

Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque letho flagitium timet.

*NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO*

S. P. D.

P R A E S E S.

Quam eruditionis Tuac specimen editurus conscripsisti dissertacionem, eam propterea Tibi talem reddo, qualem mihi obtulisti. Quemadmodum igitur in ea perficienda alieno non indiguisti auxilio; ita nullus dubito, quin absque meo etiam adiumento eandem strenue feliciterque defensurus sis. Interim petitioni Tuac lubentissime satisfaciens praefidis in me suscipio munus, ut occasioneim nanciscar, sicuti doctrinam haud vulgarem, ita eius praemia, summos, qui Te expectant, in philosophia honores publice Tibi grantulandi. Vale & mihi fauere perge.